



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXI. De loco Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

nimirum utraque proveniat ex liberalitate & gratia Dei, proveniunt tamen modo dispari; creatio siquidem ita simpliciter est ex liberalitate, & gratia, ut nihil planè supponatur, quod eam exigat; posita verò creatione Angeli exigitur ejus conservatio.

VI. Est ergo in Angelo realis & naturalis inclinatio, & appetitus ad conservationem, fundatus in ipsa ejus natura, & cum ea identificatur, ratione cujus verè ac propriè potest Angelus dici naturà

suà indefectibilis, & incorruptibilis, etiam respectu Dei, non quidem respectu potentia illius absoluta, per hanc enim de rebus omnibus disponit Deus pro libito, & cum naturà legibus dispensat sed ut auctor est Universi, seque naturalibus rerum inclinationibus & exigentiis accommodat, ut in aliis plurimis facile cerni potest: sicut calor in summo habet repugnantiam respectu potentia Dei ordinaria, ut sit in eodem subjecto cum frigore in summo, non respectu potentia absoluta.

destruibilis, non respectu potentia absoluta.

DISPUTATIO LXXI.

De loco Angelorum.

MULTI hic latè disputant de natura loci tum extrinseci, spatii scilicet imaginarii, tum intrinseci, ubicationis nimirum, per quam Angelus red- dicitur loco præsens: quæ tamen cum in physicis fusè tractata sint, disputationem de iis denuo isthic non instituum, sed ex philosophiâ supponam, eaque hic solummodo discutiam, quæ nostro instituto sunt propria, sicque hanc de Angelis materiam, quæ tota penè philosophica est, brevius quàm à plerisque eam disputa- tam video, expediam

SECTIO PRIMA.

Opiniones varia de existentia Angeli in loco.

I. Quid hic intelligatur per existentiam Angeli in loco.

SSE Angelos in loco indubitatum videtur, nam quod nullibi est, non est, ut cum Aristotele docent philosophi. At verò per esse in loco intelligimus esse hic vel ibi, sicut in Scriptura dicuntur Angeli in deserto ministrasse Christo esurienti, Angelus Gabriël ingressus domum Beatæ Virginis, &c. ergo verè erant illic præsentes. Si tamen hoc tantùm sensu negat quis Angelum esse in loco, nempe quod dimensivè in re aliqua non contineatur, non est reprehendendus.

II. Angelos aliter loco esse præsentes certum est.

Quod ergo in præsentia asserimus, est Angelos esse realiter præsentes, seu indistantes à loco: quod ita certum existimat S. Thomas ut in 2. Dist. 37. q. 3. art. 1. dicat sine hæresi negari non posse, tum ob loca Scripturæ jam posita, tum quia sæpe in divinis litteris dicuntur Angeli esse in Cælo, cecidisse de Cælo, ingressi in porcos, ejectione de corporibus obsessorum, & similia, quæ apertè ostendunt Angelos esse & fuisse à variis locis indistantes. Unde S. Gregorius Nazianzenus oratione 34. inter propticitates Angelorum ponit, quod, inquit, omnia loca peragant, omnibus ubique impigrè absunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem: Et Tertullianus in Apologia cap. 22. sic habet: *Omnis spiritus ales est, hoc est Angeli & Demones: igitur momento ubique sunt, totus orbis illis locus unus est, quid ubique geratur tam facile sciunt, quam enuntiant, velocitas divinitus creditur, quia substantia ignoratur.* Quando verò dicunt Angelos esse ubique, declarant se non intelligere eos esse ubique

actu, sed potentiâ, seu pro libito posse locum quemcumque brevissimo tempore occupare.

Prima igitur sententia, quam cum quibusdam antiquioribus sequitur Vasquez 1. p. Disp. 188. cap. ultimo, Angelum ait esse in loco per unionem ad corpus, per quam tamen affirmare videntur, Angelum non distare immediatè ab aliis locis, ut à centro, polis mundi &c. Sed mediatè, ratione scilicet corporis, quod ab his distat immediatè.

III. Prima sententia est Angelum esse in loco per unionem ad corpus.

Secunda sententia est Thomistarum qui universim affirmant Angelum esse in loco per actionem transeuntem, quam circa corpus illud exercet: ita Ferrara 3. contra Gentes cap. 68. & alii, licet in modo defendendi differant; aliqui enim volunt Angelum ita esse præsentem per operationem, ut ratione hujus solius dicatur esse in loco, ita ut substantia Angeli non sit verè & substantialiter præsens, ac proinde solum sit præsens præsentia virtutis, sicque non formaliter, sed virtualiter: alii tamen ita volunt Angelum esse in loco per operationem, ut ipsa operatio vel reddat formaliter & adæquatè substantiam Angeli præsentem loco, vel saltem inadæquatè. Unde hic postremus modus absolutè affirmat Angelum verè esse in loco, non per potentiam solum, sed præsentiam, quod non facit primus, sed tantùm ait præsentem esse quoad potentiam.

IV. Secunda sententia est Angelum esse in loco per actionem transeuntem.

Tertia sententia est nonnullorum, qui dicunt esse spiritum in loco, vel per actionem circa corpus, modo jam dicto, vel econtrà per passionem in spiritu à corpore receptam, quâ ratione demones & animas aiunt esse in inferno, esto nihil isthic agant, sed patiantur.

Præsentia formalis est virtualis.

V. Tertia sententia hoc fieri vult per actionem aut passionem.

Quarta demum sententia est Cajetani, qui ut Angeli sint in Cælo, sufficere ait, quòd ibi sint in beatitudine, & fruuntur Deo. Asserere proinde videtur ad hoc sufficere actionem etiam immanentem, puta

VI. Quarta sententia asserit sufficere actionem immanentem.

tem, puta intellectus aut voluntatis ut Angelus sit in loco.

SECTIO TERTIA.

Sitne Angelus in loco per operationem.

SECTIO SECUNDA.

Angelus non est in loco per unionem ad corpus.

I. *Vi Angelus sit in tempore, non est necessarium ut uniatur motui.*

Dico primò, Angelum esse in loco, non est illum reali & Physicà unione conjungi corpori: ita Suarez lib. 4. de Angelis, cap. 6. Hurtado Disp. 12. Metaphys. sect. 6. Tannerus q. 2. disp. 3. & alii communiter. Probatur primò: ut Angelus aut res alia spiritualis sit in aliquo tempore, non requiritur ut per realem & physicam unionem conjungatur motui reali, Cœlorum exempli gratiâ, multi namque Angeli sunt, qui huic aut alii motui physico non uniuntur physicè, & nihilominus sunt in hoc instanti ac tempore, & fuerunt etiam in tempore præterito, ergo nec ut Angelus sit in loco requirit unionem physicam cum re corporeâ, eadem quippe utriusque est ratio.

II. *Vnio ad corpus parum facit ad existentiam Angelum in loco.*

Probatur secundò: nec enim aliud requiritur ut Angelus sit præsens, etiam alicui corpori, quàm ut sit ab eo indistans, seu ut eandem cum illo distantiam habeat & indistantiam, vel à tali parte spatii imaginarij, vel à centro terræ, polis mundi &c. secundum diversas sententias; sed hoc habere potest sine unione physicà cum illo corpore, solum enim dicit talem cum illis partibus correspondentiam, quâ posita, planè abs re est omnis ulterior unio physica.

III. *Vi Angelus distet, vel non distet à re aliqua corporeâ, non est opus ut habeat partes.*

Dices cum Vasquez citato, si haberi posset distantia illa vel indistantia à punctis fixis sine unione physica, sufficere quidem illam, sed Angelus per se distare nequit, vel non distare immediatè, cum extrema seu partes non habeat. Sed contra, ut enim distet, vel non distet à re aliqua, nil opus ut habeat extrema, seu partes realiter distinctas: si enim hujusmodi partes non requirantur, ut Angelus per realem & physicam unionem conjungatur corpori, à fortiori non requiritur ut ab eo sit indistans. Confirmatur: Deus quippe est intimè præsens rebus, & ab iis indistans sine extremis, & distinctione partium, utpote quas nullas habet, ergo & res omnes spirituales & indivisibiles id habere possunt sine partibus realiter distinctis.

IV. *Angelus, manens eadem unione ad corpus mutat locum.*

Tertiò probatur: Angelus intimè præsens rei alicui corporeâ, mutat sæpè locum manens adhuc eodem modo intimè eidem præsens, & unitus, ut secundum multos intelligentia manens intimè præsens determinatè alicui parti suæ spheræ, simul cum illa circumvolvitur; & secundum omnes anima intimè præsens corpori mutat locum quoties homo movetur, ergo non est in loco formaliter per unionem illam physicam ad corpus, cum manente illa, anima in alio & alio loco existat. Deinde sicut corpus potest immediatè respicere spatium aliquod, vel puncta fixa, cur idem præstare nequit spiritus. Est ergo Angelus in loco independentè ab hujusmodi unione physica, & consequenter independentè etiam ab illa in majore vel minore loco esse potest, & ab hoc in illum se pro libito transferre.

Dico secundò, Angelus non est formaliter in loco per operationem transeuntem circa corpus aliquod exercitam: ita Suarez de Angelis lib. 4. cap. 4. Hurtado & alii citati. Probatur: vel enim volunt Angelum esse in loco per solum operationem transeuntem, ita ut per suam substantiam verè & formaliter non sit præsens in aliquo loco, vel corpore, sed solum præsentia virtutis, seu virtualiter, vel saltem quòd operatio sit partialis ratio constituendi Angelum in loco, modo supra explicato in relatione secundæ sententiæ. Primum dici non potest ob loca Scripturæ jam posita, & insuper Tobia 12. dicitur Raphael ligasse demonem in partibus deserti. Item Apocalypsis 19. & 20. ligari dicitur in inferno: nihil etiam apud Sanctos Patres frequentius, quàm Angelos nobis adesse locis omnibus, & horis, & alia hujusmodi, quæ apertè ostendunt Angelos, non secundum virtutem tantum, sed etiam substantiam esse variis locis præsentem.

I. *Declaratur quo pacto Angelus non sit in loco per operationem.*

Demon ligatus in deserto, & in inferno.

Quod etiam dici nequeat secundum, nempe operationem esse partialem rationem, per quam Angelus constituitur in loco, probatur: in primis enim alius est conceptus existentie in loco, alius operationis, esse siquidem in loco, ut supra dicebamus, aliud nihil est, quàm esse à loco indistantem, vel existere in tali distantia à centro mundi, punctis fixis &c. sed in hoc conceptu præcisè nulla involvitur actio; nullo ergo fundamento requiritur actio, ut Angelus sit in loco. Confirmatur: corpus esse potest in loco sine actione transeunte in aliud corpus; ergo & spiritus: patet consequentia, quocumque enim modo explicatur existentia illa corporis in loco, poterit etiam explicari existentia spiritus: antecedens verò probatur, alias namque dabitur processus in infinitum in existentia locali cujuscumque corporis.

II. *Alius est conceptus existentie in loco, alius operationis.*

Corpus esse potest in loco sine actione, ergo & spiritus.

Secundò probatur: ponamus actionem illam externam esse, quòd imprimat impetum in corpus illud per hanc actionem, non est Angelus in uno loco quàm in alio, cum possit in quocumque loco impetum in corpus illud imprimere, idque per eandem actionem, primò enim æque absoluta à loco est actio productiva impetus ac impetus ipse, & alia qualitates; nec enim magis in conceptu actionis involvitur ubicatio, quàm in conceptu unionis, aut alterius entitatis modalis, vel absolutæ. Deinde si actio sit ubicatio, certè est ubicatio potius respectu impetus, quem producit, & corporis cui eum imprimat, quàm respectu producentis; impetum quippe & corpus afficit intrinsecè, agens tantummodo extrinsecè: unde quando Deus effectum in re aliquâ producit, non dicitur esse in loco per actionem illam transeuntem, sicut nec unum corpus quando agit in aliud, ergo agens non constituitur in loco per hujusmodi actionem; nec enim rectè quis hoc ad solum spiritum, imò & ad spiritum creatum restrinxerit, nisi petendo principium.

III. *Actio illa est ad omnia loca indifferens, ergo per eam Angelus non est magis in uno loco, quàm in alio.*

Probatur tertio: Angelus siquidem, & omne agens creatum spirituale, est mutabilis secundum locum, ergo non constituitur in loco per actionem extrinsecam, primò quia tunc Deus esset

IV. *Cum spiritus creatus, sit loco mutabilis, non constituitur in loco per actionem extrinsecam.*

loco mutabilis, cum res corporeas per varia movere loca possit, & aliunde ipsi non repugnet denominatio extrinseca a re creatâ. Deinde mutabilitas propriè sonat aliquid intrinsecum; nec enim mutari dicitur ignis quando calorem aut ignem in alio subiecto producit, sed solum mutatur illud subiectum. Arguitivè quidem sequitur Angelum esse hic, & huic corpori præsentem, si illud moveat, aut alium in eo effectum producat: non tamen per hanc operationem formaliter loco illi coexistit.

SECTIO QUARTA.

Uterius ostenditur Angelum non esse in loco per operationem.

I. **Q**UARTO probatur: nam ut rectè Suarez citatus num. 7. Angeli & Anima separate sunt in variis locis, in quibus nihil omnino operantur transeunter. Angeli enim in Cælo Empyreo nullam circa illud, vel aliud corpus actionem exercent, sicut nec demones in inferno, aut in corporibus obsessorum, saltem semper, & tamen etiam quando nihil externum agunt, sunt in inferno, & ibidem adhuc cruciantur, ergo universum esse Angelum in loco non est operari in illo circa corpus transeunter.

II. Dices: licet demones nullam actionem externam circa corpus aliquod eliciant in inferno, corpus tamen econtrario actionem exercet circa illos, nam ignis in ipsis aliquid producit quod eos cruciat. Contra primò, hæc enim responsio rem per se certam, & de fide explicat per opinionem valde incertam, & à plurimis Theologis negatam. Contra secundò: saltem hæc responsio non subsistit in Angelis in Cælo Empyreo & animabus antiquorum Patrum in Limbo detentis. Contra tertio: si enim Angelus per hoc fit in loco, quod res corporea agat in ipsum, ergo & vicissim res corporea erit in loco per hoc quod Angelus in illam agat, sicque non subsistit prior modus statuendi Angelum in loco per actionem in corpus.

III. Quintò: nam ut bene arguit Scotus, Angelus movens cælum exempli gratiâ, in totâ spherâ operatur, cum illam totam moveat, & tamen non toti spherâ, sed uni tantum illius parti est præsens, ergo Angelus non est in loco per operationem. Tandem hoc modo datur ansa hæreticis eludendi mylteria fidei, dicent enim corpus Christi esse in Eucharistia per operationem, licet secundum præsentiam sit tantum in cælo: dicent inquam esse in altari per operationem, sicut sol dici potest esse hic in aère quia hic operatur, & producit lucem, quæ tamen existentia & præsentia est valde diminuta, ac metaphorica; est tamen æquè propria ac adversarii tribuunt Angelis.

IV. Dices cum Cajetano, Ferrara, & aliis, Angelos in Cælo Empyreo, & demones in inferno occultas quasdam qualitates producere, & per hanc productionem, in iis locis existere. Sed contra: ergo & anima in Limbo occultam illic aliquam qualitatem corpoream producere deberent, quod tamen opinor nullus concedet, cum præter motum, non appareat quid anima aut Angelus in corpore aliquo producat. Respondetur itaque gratis fingi huiusmodi occultas qualitates, nec ad aliud excogitari, nisi ut aliquo modo solvatur argumentum, vel potius eludatur.

V. Nec majorem habet probabilitatem, quod ait

idem Cajetanus, esse scilicet Angelos in loco per operationes intellectûs & voluntatis, quos ibidem exercent. Hoc inquam præterquam quod patitur omnes impugnationes prioris sententiæ, de actione transeunte, difficile videtur, cum per se loquendo operationes spirituales, saltem quoad connexionem essentialem, magis absoluta sint à loco, quàm materiales. Deinde demon æquè habere potest actus intellectûs & voluntatis circa Cælum Empyreo, atque Angeli ibi existentes, & econtrà Angeli beati circa infernum, ergo per hos actus existere nequeunt in loco.

VI. Si quis verò objiciat S. Thomam hic asserentem Angelum non esse in loco instar aliarum rerum, sed æquivocè, & per applicationem virtutis: Respondetur solum velle Sanctum Doctorem, Angelum & res alias spirituales non esse in loco per physicum contactum, & contiguitatem extremorum. Per applicationem autem virtutis non intelligit operationem, sed formam aliquam vel qualitatem intrinsecam, per quam Angelus reddatur præsens spatio imaginario, & proximè applicatus rei, ita ut possit in eam agere. Unde & ipsi Thomistæ circa mentem S. Thomæ valde hæc in parte sunt inter se divisi.

VII. Est ergo Angelus, sicut res aliæ, in loco per ubicationem intrinsecam, per quam tali parti spatii imaginarii respondet: quam sententiam latè declaravi, & probavi Disp. 34. phys. per totam. Disput. etiam 13. phys. sect. 5. ubicationem omnem Angelicam respectu spatii divisibilis ostendi esse divisibilem: de quibus proinde nil opus hic quidquam adjicere, nec ibi dicta repetere.

SECTIO QUINTA.

Possintne plures Angeli esse simul in eodem loco.

I. **R**ESPONDETUR affirmativè: cum enim possit Angelus intimè præsens esse rei materiali, sicut anima est penetrata cum corpore, à fortiori duo Angeli, vel anima penetrari poterunt inter se. Deinde multi demones sæpè sunt in eodem homine: unde in Evangelio dicitur Christus integræ legionem demonum ex uno homine expulisse, qui tamen sine penetratione in tantillo loco esse vix poterant; saltem penetrabantur cum anima, imò & cum corpore illius hominis, ergo & penetrari invicem poterant inter se. Ex hoc denique Evangelii loco colligunt multi ex Sanctis Patribus Angelos esse incorporeos. Cum itaque nullam habeant quantitatem, non sunt vel inter se, vel cum aliis rebus impenetrabiles.

II. Quando ergo S. Thomas hic, q. 52. art. 3. negare videtur posse duos Angelos esse simul in eodem loco, solum vult, ut ait Pater Hurtado num. 58. non posse esse simul in ratione causæ duplicis totalis, quæ naturaliter repugnat. Alii volunt solummodò negare S. Thomam id fieri posse secundum contactum physicum: unde ibidem ad tertium concedit demonem & animam in eodem loco penetrari posse inter se in eodem corpore. Pater Suarez tamen hic lib. 4. cap. 9. fateatur S. Thomam esse in contrariâ sententiâ.

III. Adde contra P. Suarez num. 3. non in eodem solum loco, sed per eandem etiam formam, seu ubicationem posse duos, vel plures Angelos esse eidem spatio affixos, saltem divinitus; nulla enim est repugnantia ut detur modus duorum, sicut secundum

I. Angeli in Cælo Empyreo nil circa illud operantur.

II. Rejicitur Responsio asserens demones esse in inferno quia ignis agit in ipso.

III. Angelus in una tantum spherâ parte existens movet totam.

IV. Frustra recurrunt ad occultas qualitates.

Multo minus sunt Angeli in loco per operationem.

VI. Quod vult S. Thomas, dicitur Angelum esse in loco per applicationem virtutis.

VII. Angelus est in loco per ubicationem intrinsecam.

I. In eodem loco sunt plures Angeli.

II. Cum anima & corpore hominis penetrantur inter se.

III. Quæ sententia negat S. Thomam posse esse simul in eodem loco.

III. Plures Angeli per eandem ubicationem possunt esse in eodem loco affixi.

secundum satis communem sententiam, omnes partes corporis Christi in Eucharistia per idem indivisibile unionis vel ubicationis, sunt in hoc puncto spatii, & huic indivisibili quantitatis, vel aliorum accidentium uniuntur.

IV. Nec etiam urget quod opponit S. Bonaventura, qui ideo negat plures Angelos posse in eodem loco existere, non quod sit ex parte ipsorum physica repugnantia, sed quia pulchritudo & recta constitutio Universi id exigere videtur: qua etiam de causa ait non posse Angelum ultimi caeli circumferentiam transire: sed hoc non impedit; nihil enim contra pulchritudinem Universi, quod plures Angeli vel daemones in inferno, ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat, sunt in eodem spatio: unde Scripturae & Patribus est conformis eos de facto nonnunquam in eodem loco existere. Quoad bonos vero cum nulla in hoc sit repugnantia physica, non est cur ipsos non relinquamus suae libertati.

SECTIO SEXTA.

Positne Angelus existere in puncto.

I. **Q**UÆRES secundò: utrum Angelus esse possit in uno indivisibili spatio. Valentia to. 1. Disp. 4. q. 3. punct. 3. cum aliis nonnullis affirmat, Angelum non solum non posse esse in puncto, sed ex necessitate naturæ esse in maximo loco, quem occupare naturaliter potest. Contrarium tamen est probabilis, & multò inter Theologos communius; anima quippe nunc est in majore, nunc minore corpore, non quidem pro libito, sed secundum diversas dispositiones, diversæ hominis ætati correspondentes. Cum ergo anima non sit necessariò vel in maximo vel in minimo spatio, in quo esse naturaliter potest, neque erit Angelus, & consequenter cum non pendeat ab illis dispositionibus poterit in majori vel minori spatio pro sua voluntate existere.

II. Quoad prius autem Halensis 2. parte, q. 32. memb. 3. & alii nonnulli, etiam concessis indivisibilibus negant Angelum posse esse in puncto: contraria tamen sententia est probabilior, quæ asserit posse Angelum esse in unico indivisibili: ita S. Thomas in 1. d. 37. q. 3. art. 2. Ferrara, Cajetanus, Bannes, & alii Thomistæ; Suarez de Angelis, lib. 4. cap. 11. num. 23. Molina, Arrubal, Granada, Arriaga hic Disp. 16. & alii. Vasquez tamen neutram partem satis ostendi posse affirmat. Probatur tamen assertio: si quid enim obstat, maximè quod vel indecens, vel impossibile videatur, ut Angelus, ens tam nobile, ad locum tam exiguum redigatur: sed hoc non urget, defacto enim est in hujusmodi punctis, si dentur, quod autem simul sit in aliis partibus non arguit quin totus sit in loco quovis minimo, seu puncto. Hinc à fortiori sequitur posse Angelum, cujus sphaera exempli gratià esset latitudo hujus scholæ, horti, vel civitatis, posse inquam cum in quocunque spatio minori existere.

III. Contra hoc objicit Scotus in 1. disp. 8. q. 6. si Angelus, cujus sphaera sit hæc civitas exempli causa, in minori & minori spatio esse possit, ergo etiam in majori & majori, & consequenter simul in Cælo & in terrâ: cum enim juxta propositionem Euclidis 35. lib. 1. si corpus impleat locum quadratum, implebit quoque quadrangulum æqua-

lem, quantumvis latera coarctentur, hinc inquam sequitur, si locus Angeli illius arctetur versus latitudinem, posse cum simul in cælo & in terrâ existere.

Ut omittam Durandum qui in 1. Disp. 37. q. 1. num. 26. affirmare videtur Angelum simul esse ubicunque operari potest, sive simul sive successive, & consequenter esse ubique, cum nullum sit corpus creabile in quacunque distantia ab alio, in quod secundum illum ipso facto agere non possit: hoc inquam ut omittam, Major admittit Angelum simul esse posse in Cælo & in terrâ, & spatio illo intermedio longo & arcto, nec abnuat Cajetanus, dum ad argumentum respondens, ait, illo non probari posse Angelum se extendere ad longitudinem infinitam.

Respondetur tamen, licet propositio illa Euclidis ostendat, spectatâ purâ extensione, & commensuratione quantitatis mathematica, posse Angelum, qui prius fuit in quadrato, extendi per quadrangulum æqualem, ita ut simul existat in cælo & in terrâ, aliunde tamen id habere potest repugnantiam, naturaliter loquendo; sicut nec in rebus corporeis id semper est verum, in iis scilicet, quæ certam figuram & proportionem partium inter se naturaliter exigunt: unde & à quo si nimium extendatur, seu extenuetur, & quasi racheat desinet in ærem, & sic de aliis. Sicut ergo res variæ naturales habent terminum, unde in viventibus datur maximum juxta philosophos, ita idem dici poterit de spiritualibus.

Probabile itaque videtur, quod ait Suarez citatus num. 20. sphaeram Angeli certam esse ac circularem, & licet esse in minori loco pro libito possit, cum hoc pendeat ab ipsius voluntate, non tamen posse diametrum illius circuli excedere, quantumcumque quoad latitudinem se coarctet: & hoc in limitationem ejus est refundendum. Deinde nimia esset diffusio substantiæ Angelicæ, & distantia virtualis à se, seu partium ejus quasi virtualium (quod in rebus corporeis non contingit, quæ habent diversas partes reales) notabiliter quippe major diversitas est in distantia in spatio quadrato decem ulnarum, & in quadrangulo arctiori extenso à cælo ad terram, ut constat, licet utrumque perinde sit quoad considerationem mathematicam.

SECTIO SEPTIMA.

Utrum Angelus esse simul possit in pluribus locis.

SERMÒ est de locis adæquatis, seu ita ut spatium intermedium non occupet; de alio enim non est dubium: nam sicut anima illo sensu est in duobus vel pluribus locis, in utraque scilicet manu, pede &c. ita & Angelus eidem corpori intimè præsens, & similiter existens hic, & occupans totam scholam in quovis illius angulo existit. Nec etiam per locum adæquatum intelligimus maximum quem naturaliter Angelus occupare potest; hoc enim sensu, non solum in pluribus locis adæquatis, sed nec in uno adæquato, & alio inadæquato esse potest, cum prima præsentia sit sphaera illius, & consequenter virtuti ejus in existendo adæquata.

Quæstio etiam procedit de potentia naturali, & ordinaria; Deum enim per potentiam absolutam posse Angelum in duobus aut pluribus locis adæquatis

IV. Durandi opinio de existentia Angeli in loco.

V. Propositio Euclidis non probat posse Angelum simul esse in cælo & in terrâ.

VI. Probabilius videtur non posse Angelum excedere diametrum suæ sphaeræ.

Diversitas inter quadratum & quadrangulum.

I. Certum est posse Angelum simul esse in pluribus locis inadæquatis.

II. Quæstio non de potentia absoluta procedit, sed ordinata.

Sermo est de locis discretis.

adequatis constituere, non est dubium, cum constet ex mysterio Eucharistiae, de facto corpus & animam Christi in pluribus locis maxime distantibus uno eodemque tempore collocari. Tandem loquimur quoad praesentias omnino discontiguas, & inter se intervallo aliquo disjunctas: si enim res plures discontinuae inter se, ita per contiguitatem conjungantur, ut faciant unum cumulum, ut multa arenula, vel alia, etiam specie distincta, nulla est difficultas, quo minus possit Angelus illis omnibus simul reddi praesens.

III. Afferit prima sententia posse Angelum exte- rere in duobus locis adaequatis.

In hac ergo re Cajetanus, Ferrara, & alii Thomista asserunt, posse Angelum naturaliter simul existere in duobus locis adaequatis, si per loca adaequata intelligantur discreti intra eandem sphaeram, ut exempli gratia si sphaera Angeli sit haec schola, posse eum aiunt esse in angulis, & non in medio. Si tamen hi auctores conformiter ad modum illum defendendi sententiam suam de existentia Angeli in loco per operationem, solum velint posse Angelum simul operationes diversas in duo corpora loco inter se distantia exercere, ut si Angelus existens praesens toti huic domui virtutem suam activam duobus personis in diversis illius partibus, vel proximè extra illam existentibus applicet; si, inquam, hoc tantum velint, nil quoad hoc in re diversum dicunt à communi sententia, sed tollunt veram & formalem Angeli praesentiam in loco, ut supra ostensum est: si verò velint Angelum esse formaliter in loco solum per operationem, & tamen operari posse in duobus corporibus loco inter se disjunctis, differunt & à communi sententia, & à veritate, ut mox videbimus. Scotus etiam in 2. disp. 2. quaest. 7. & Gab. ibidem q. 2. art. 3. dub. 3. hac in re sunt dubii, nec satis vel unam partem vel alteram probari posse affirmant.

Duo diversi hanc sententiam defendendi modi.

IV. Nequit Angelus esse simul in duobus locis adaequatis.

Communis nihilominus Theologorum hodie sententia est, non posse Angelum naturaliter in duobus aut pluribus locis discretis, seu adaequatis simul existere: ita Suarez lib. 4. de Angelis, sect. 10. Vasquez disp. 190. cap. 3. Arrabal, Molina, Granada, & alii.

V. Rationes variae insufficaces cur Angelus esse nequeat in duobus locis adaequatis.

Rationem assignant alicui: est enim inquit implicatio in terminis, ut sit simul in duobus locis adaequatis, cum in neutro sit adaequata, posito quòd eodem tempore sit in alio. Sed hoc probaret nec divinitus posse simul Angelum esse in duobus locis adaequatis: & simili argumento utuntur alicui, ut probent non posse eundem effectum simul produci à duobus causis totalibus. Hic ergo per locum adaequatum intelligunt Auctores locum ab alio disjunctum, de quo, ut constat, non procedit haec ratio. Dicunt alii: si possit esse in duobus locis discretis, poterit esse in multis, idque sine ullo certo numero. Sed neque hoc sequitur, nec enim in pluribus, palmaribus exempli gratia, inter se discretis esse poterit, quam adaequent sphaeram ejus maximam. Alii id ab indivisibilitate Angeli ostendere conantur: cum enim, inquit, in entitate sit indivisibilis, loco dividi non potest. Sed hoc non concludit; probaret enim non posse Angelum, indivisibilis cum sit, existere in loco divisibili. Deinde nec divinitus, secundum hunc philosophandi modum, esse posset in duobus locis discretis.

Non sequitur, si Angelus possit in duobus locis adaequatis, posse eum esse in infinitis.

Nec etiam obstat Angeli indivisibilitas.

SECTIO OCTAVA.

Rationes aliquae probabiles cur Angelus esse simul nequeat in pluribus locis discretis.

DIFFICILE itaque est, efficacem hujus rei rationem assignare: primò tamen ostendi potest auctoritate Patrum, qui id passim affirmant. Ut alios omittam, S. Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. Angelus, inquit, ubi imperatum fuerit, illic spiritualiter adest, & operatur; neque eodem tempore hic atque illic esse atque operari possunt. Aliæ auctoritates Patrum videri possunt in Vasquez citato.

I. Auctoritate ostenditur, non posse Angelum simul in duobus locis discretis esse.

Suaderi deinde probabiliter potest ratione supra, sect. precedente insinuatà, qua si rectè explicetur, vim suam habet. Res itaque tam corporea, quam spiritualis multiplicata loco, cum juxta dicta disp. 35. Physic. sect. 5. num. 5. ut in uno loco existens sit planè independens à se ut in alio, aequivaleret duabus; unde ut existens in utrovis loco discreto occupare tantum spatii possit, quantum naturaliter occuparet si existeret tantum in uno, ac proinde Angelus immensum quoddam spatium naturaliter occupare posset, sicque simul in caelo esse & in terrà, & in locis quibusque remotissimis contra Patres. Imò experientia constat demones, cum aliò transmigrant, reliquisse ad tempus corpora obsessorum, quod tamen non fecissent, si in utroque simul loco esse potuissent.

II. Si Angelus naturaliter possit in pluribus locis adaequatis simul existere, occuparet ipse locum immensum.

Dices non posset se naturaliter in diverso loco discreto statuere, in scholà exempli gratia & in horto, id enim fieret ab Angelo ut existente hic; ut autem hic existens non potest statuere se nisi in loco omnino proximo, alioqui ageret in distans. Contra: saltem Deus primò statuere Angelum sine miraculo posset in duobus locis discretis, si in Angelo sit potentia passiva, vel quasi passiva ad duas ubicationes disjunctas simul & semel naturaliter habendas. Contra secundò & præcipuè, sicut Angelus existens in hac scholà potest definire pro libito esse in uno, vel utroque extremo, retinendo adhuc praesentiam in reliquà scholà, cur similiter relinquere nequit praesentiam in medio, priorem adhuc in duobus extremis retinendo; certè non obstat quod ageret in distans, cum præcisè definire non sit operari, deinde si esset, sicut medium est proximis extremis, ita extrema medio, quare si existens in medio definire potest esse in uno, vel utroque extremo quin agat in distans, definire similiter poterit in medio, remanens in extremis.

III. Vt res ostenditur non posse Angelum simul naturaliter esse in duobus locis discretis.

Confirmatur & magis explicatur præcedens ratio: si namque in Angelo & animà sit aptitudo & capacitas naturalis ad diversa loca simul occupanda, poterit in iis à Deo naturaliter statui; si cupit enim Deus ut auctor supernaturalis, seu per potentiam absolutam potest quidquid non repugnat supernaturaliter, ita & ut auctor naturæ, seu ut operans naturaliter, potest quidquid non repugnat naturaliter. Probatur tertio: sequeretur siquidem posse etiam agentia creata naturalia Angelum in duobus locis statuere, sicque frequenter essent animæ & Angeli in locis discretis; si enim Angelo (idem est de animà) in medio scholæ existente, accedant duo Angeli habentes virtutem sufficientem

IV. Sequitur posse Deum in diversis locis Angelum naturaliter statui.

Idem etiam sequitur de agentibus creatis.

sufficientem ad illum loco movendum, & alter movere eum velit versus orientem, aliter versus occidentem, illum secum in diversa ferent, & hoc pacto statuent in locis discretis.

V. Dices, nec animam illam motum iri, nec Angelum, non ob ullam ex parte illorum repugnantiam, sed ex parte moventium qui hic & nunc se impedirent, sibi invicem obstitendo, vel enim imprimerent impetum æqualem, tunc verò non omnino moveretur Angelus ille aut anima; vel alter imprimeret majorem, tunc autem is pravalet & simpliciter eum versus illam partem moveret, versus quam propellit, licet non nihil retardetur ab impetu alterius, ut modò ex parte contingit in motu orbium cælestium, formicæ super rotam, navi adverso flumine attracta &c. Sed contrà: si enim uterque vim sufficientem ad Angelum movendum adhibeat, & ex parte Angeli non sit repugnantia ut statuatur in diversis locis, ambo eum movebunt, & statuunt in iis, licet alter magis, alter minus velociter, pro diversitate scilicet impetus; sicut etiam duo ignes eodem loco applicati eidem ligno, & sufficientes singuli ad diversam in eo formam ignis producendam, si in materiâ ligni esset capacitas ad habendum simul duas formas, duas in eâ producerent; ideo autem non producunt, sed atemperant invicem concursum ad unam tantam producendum, quia materia illa unius tantum simul formæ est capax. Quam rationem latius prosecutus sum in physicis Disp. 35. sect. 1. & secundâ.

V. Dicitur in illis propellentibus unus alterum in Angelo movendo impedire.

Declaratur exemplo orbium cælestium.

Refellitur præcedens solutio, & ostenditur Angelum in hoc casu diversis in locis statuendum.

VI. Ex rarum creatorum limitationem ostenditur, non posse Angelum esse simul in diversis locis.

Declaratur exemplo orbium cælestium. Sed contrà: si enim uterque vim sufficientem ad Angelum movendum adhibeat, & ex parte Angeli non sit repugnantia ut statuatur in diversis locis, ambo eum movebunt, & statuunt in iis, licet alter magis, alter minus velociter, pro diversitate scilicet impetus; sicut etiam duo ignes eodem loco applicati eidem ligno, & sufficientes singuli ad diversam in eo formam ignis producendam, si in materiâ ligni esset capacitas ad habendum simul duas formas, duas in eâ producerent; ideo autem non producunt, sed atemperant invicem concursum ad unam tantam producendum, quia materia illa unius tantum simul formæ est capax. Quam rationem latius prosecutus sum in physicis Disp. 35. sect. 1. & secundâ.

Probatur quartò: ex imperfectione rei cuiusque creatæ, quæ sicut ob suam limitationem determinat sibi locum quoad quantitatem, ita & quoad unitatem, & sicut naturaliter esse non potest nisi in loco tanto, ita nec nisi in uno. Confirmatur: anima rationalis ob similem limitationem non potest simul esse nisi in unico subjecto; sicque licet informare possit unum subjectum, seu corpus aliquod magnum, non tamen potest simul informare duo minora, esto utrumque simul non adæquet magnitudinem prioris, ergo similiter licet Angelus occupare possit unum aliquod spatium magnum, non tamen duo minora inter se discreta, quamvis utrumque simul ad alterius spatii latitudinem non pertingat. Hæ rationes probabiliter suadent intentum, veritatem tamen nostræ sententiæ non planè convincunt.

SECTIO NONA.

Positne Angelus esse, & nullibi esse.

I. Quid recentiores aliqui dicant de absolutiōne Angelus à loco. QUÏ Angelos esse in loco asserunt per operationem transeuntem, vel per unionem physicam ad corpus, omnes fere affirmant Angelum esse posse, & nullibi esse: unde Valquez hic, Disp. 188. num. 25. 26. & 27. ait, cum Angelus sit in loco solùm per unionem ad corpus, eamque liberam & voluntati Angeli subjectam, posse illum pro libito, ut ab hac vel illâ unitiōne sui ad tale vel tale corpus, ita & ab unitiōne ad omne corpus cessare, sicque etiam naturaliter absolvi ab omni loco. Egidius tamen, etsi Angelum dicat esse in loco per operationem, vel applicationem virtutis ad agendum in aliquod corpus, negat nihilominus posse Angelum esse nullibi, sed semper ait, necessariò eum in aliquod corpus operationem aliquam exercere.

Notandum variis modis hæc quæstionem intelligi posse: primò utrum possit Angelus esse, & non in loco aliquo reali; seu non intimè præfens alicui corpori, sive ei uniatur, sive non, vel an etiam esse possit, & non in aliquo loco aut spatio saltem imaginario. Secundò, utrum naturâ suâ Angelus existere possit extra totam machinam Universi, licet lege Dei extrinsecâ intra eam definiatur. Tertio, utrum divinitus privari res aliqua possit omni loco, tam extrinsecò quàm intrinsecò, nempe ubicatione, posito quod sit in loco per ubicationem.

II. Angelum nullibi existere intelligi variis modis potest.

Prima Conclusio: Angelus spectatâ naturâ suâ, non necessariò requirit ut sit in aliquo loco reali, sed possit quantum ex se esse in spatio purè imaginariis. Ratio hujus est: nihil enim apparet, unde Angelus tam arctam cum rebus corporeis habeat connexionem, ut sine eis creari non possit. Confirmatur primò: res corporeæ non eam habent connexionem cum Angelis, ut sine eis esse non possint; ergò nec econtrà: imò longè potiore ratione, cum per se loquendo res, quò perfectiores, eò minus aliis indigeant. Confirmatur secundò: posset Deus corpus aliquod, præsertim simplex, extra totum hoc Universum creare; ergò & Angelum. Confirmatur tertio: Deus est in spatio imaginariis, ut supra ostendi Disp. 8. sect. quartâ; ergò & esse in iis poterit res aliqua spiritualis creata.

III. Angelus non potest necessariò esse in loco reali.

Rebus spiritualibus non est necessitudo cum corporeis connexionis.

Secunda Conclusio: suppositâ tamen lege Dei non potest Angelus de facto non esse in loco aliquo corporeo. Ratio est: cum enim Deus Angelos ut partem Universi creaverit, verisimile est eosdem illis & Universo cum limites constituisse: cum ergo intra Universum, nullum sit vacuum, quod corpore saltem aliquo non repleatur, nequit Angelus non esse intimè præfens alicui rei corporeæ. Hoc docere videtur Halensis 2. parte, quæst. 32. memb. 1. ubi cælo empyreo tanquam proprietatem quandam tribuit, quod intra seu infra se res omnes, ipsosque adeò Angelos contineat: quod sanè alio modo quàm de lege ab omnium creatore latâ intelligi non potest: nec enim intelligibile est, quæ virtus naturalis cælo; etiam empyreo, insit ad Angelos intra se, quasi in quodam carcere, aut caveâ concludendos.

IV. Angeli cum sint partes Universi, vel alicui corporeæ seorsum sunt intimè præfens.

Tertia Conclusio: Angelus non potest naturaliter absolvi ab omni loco seu esse nullibi. Hoc supponere videntur sancti Patres, quorum aliqui docent creatos fuisse Angelos in cælo empyreo, alii in stellato, omnes in certo ac determinato loco; ergo indubitatum apud ipsos videtur debuisse Angelos alicubi produci, & in aliquo loco existere, si existant; ergo juxta ipsos non possunt, saltem naturaliter, absolvi ab omni loco. Confirmatur ex illo Aristotelis, quod nullibi est, nihil est, quod saltem naturaliter (quo solo sensu illud intellexit Aristoteles) verum esse debet.

V. Absolvi vel qui Angelus naturaliter ab omni loco.

Quod nullibi est, nihil est.

Quarta Conclusio: Probabilius est Angelum (idem est de aliâ re quacunque) nè quidem divinitus existere posse, & nullibi existere, seu absolvi ab omni loco: ita sentire videtur Valentia Disp. 4. quæst. 3. punct. 2. Molina hic, quæst. 52. art. 1. esse. d. unicâ, membro 4. asserens intelligi non posse Deum producere aliquid, & nullibi illud producere. Idem docet Suarez lib. 4. cap. 3. num. 5. P. Bupalus quæst. 52. a. 2. quæstio 2. difficultate ultimâ, & alii. Hanc conclusionem latè probavi Disp. 33. Physic. sect. 5. 6. & 7. ubi etiam argumenta quæ contra eam proponi solent dissolvi: quare nihil hac de re addendum existimo.

VI. Esse, nec divinitus potest Angelus, & nullibi esse.

